









*S. 62*

FUNDAMENTA DOCTRINÆ  
DE  
OBSERVANDA  
ÆQVALITATE  
INTER  
REM ET PRETIUM  
IN CONTRACTIBUS PERMU-  
TATORIIS  
*29*  
EX  
JURE NATURALI  
BRUIT,  
HAC QVE OCCASIONE  
EA, QVÆ OLIM DE ÆQVITATE  
ET USU PRACTICO L. II. C. DE RESCIN-  
DEND. VENDIT. DISSESTIT  
ULTERIUS EXPLICAT.  
NEC NON  
OBJECTIONES CIRCA HANC DOCTRINAM  
HINC INDE MOTAS REMOVET  
JOANN. GODOFRED. SCHAUUMBURG, D.

---

DRESDAE ET LIPSIÆ,  
APUD JO. CHRIST. ZIMMERMANNI HÆRED.  
ET JO. NICOL. GERLACHIUM.  
MDCC XXXI.

*Kd 2498*



UNIVERSITATIS  
ORGANUM  
EQUITATI  
RENTA  
IN CONTRACTIONIBUS PERIN  
TATORIBUS  
JURE NORMATIVI  
BY OLE OFICIO EQUITATI  
ET OS PRINCIPICO PERICIO DE  
PES AQUITATI DEDICATA  
CETERIS TERRIS  
OPPOSITIONS CIRCV HINC DOCTRINAM  
Johann. Gottlieb Schubmehre.



PERILLVSTRI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
**BERNHARDO**  
**L.B.A ZECH,**

*Augustissimo Poloniarum Regi, & Princi-  
cipi Electori Saxoniæ in Sanctiori Se-  
natū Consiliariō, Statusque publici Mi-  
nistri, Capitulorum Zicensis & Wur-  
zensis Decano & Vice-Præposito,  
Dynastæ in Schmorckau  
&c. &c.*

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

PERILLVTRI

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO  
CHRISTIANO  
A LOSS,

*Potentissimi Poloniæ Regis & Serenissimi Electoris Saxoniæ in Summo Senatu Ecclesiastico Præsidi, Sacri Palatii Comiti, Aulæ & Justitiae Consiliario*

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

ILLVSTRI

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

GOTTH. FRIDER.  
A SCHOENBERG,

*Serenissimi atque Potentissimi Poloniæ  
Regis, & Saxoniæ Electoralis Prin-  
cipis Sacri Cubiculi Regii Comiti,  
Dynastæ Clientelarum Trebiz,  
Dammenhayn, Lauterbach,  
&c. &c.*

DOMINO SVO GRATIOSO

PAGELLAS  
HASCE  
ACADEMICAS  
CVM  
VOTO  
PERENNATVRAE FELICITATIS  
SACRAS FACIT

ATQVE  
HVMILLIMA DEVOTIONE  
OFFERT

A V T O R

PERILLVSTRES

AT QVE

EXCELLENTISSIMI DOMINI

DOMINI AC MAECENATES  
GRATIOSISSIMI



axima equidem animi voluptate recordor ejus temporis, ex quo vita Academica mihi semel placuit; id tamen simul ingenue fateor, quod forsan non diu placuisset, nisi omnem rem meam & causam, meque totum potestati atque tutelæ REGIS POLONIAE POTENTISSIMI, ET SVMMI SAXONIAE ELECTORALIS PRINCIPIS commissum. Per decennium enim, & quod excurrit,

):( 3

Vitem-

Vitembergæ commoratus satis intellexi, summaque animi  
devotione miratus sum, REGEM CLEMENTISSIMVM inter  
curas, quæ civium salus promovenda offert, id præser-  
tim agere, ut res literaria, quæ, quantum ad felicita-  
tem Reipublicæ conferat, inter omnes constat, majora  
in dies capiat incrementa. Non sufficit IPSI, ut Sacri  
Codicis explicatio, Legumque, quibus Saxonia abun-  
dat, saluberrimarum interpretatio & applicatio non nisi  
Viris, puritate doctrinæ, eruditione, experientia, meri-  
ritis, gravitate & autoritate conspicuis demandetur, alia-  
que ratione Academiæ ita ordinentur, ut exinde cives  
bene morati redeant; Sed & insuper, ne unquam desint,  
qui ad studiorum fastigium aliquid conferant, insignia  
beneficia & præmia proponit; imo, quod maximum,  
omnem rerum Academicarum dispositionem curæ atque  
fidei Ministrorum, qui & IPSI virtutem amant, & in stu-  
diis excellunt, summamque prudentiam, rem literariam  
dirigendi, callent, submittit. Ex iis vero Vos, VIRI PER-  
LLVSTRES ET EXCELLENTISSIMI, hac vice nomino, & ju-  
re quidem. Præter enim id, quod NOMINA VESTRA ob-  
fidem, juris tam publici quam privati notitiam & usum,  
dexteritatem in rebus agendis, alacritatem indefessam  
in laborum mole, aliasque dotes atque virtutes insolu-  
bili vinculo invicem conjunctas, quarum innumera quo-  
tidie

tidie Saxonia colligit exempla, mortalitati dudum er-  
pta sint; præsens non solum ætas, VESTRAM pro salute  
Academiarum susceptam vigilantiam & curam depræ-  
dicat, sed etiam posteritas VESTRVM erga omnes, qui  
solidæ eruditioni operam navant, singularem plane affe-  
ctum nunquam silere poterit. Felix itaque ille, cui in  
Academiis Saxonum versari datum est! Sed felicior il-  
le, cujus industria rerum Academicarum Statoribus, VOBIS  
præsertim, MAECENATES, probatur! Felicissimus il-  
le, quem gratia & protectione VESTRA indignum haud  
judicatis! Quid ideo mirum, quod singuli ex eruditio-  
rum coetu certatim in id operam dent, ut VOBIS inno-  
tescant, &, pro viribus ingenii ad rem literariam non-  
nulla conferendo, VESTRAM sibi concilient gratiam. Ego  
forsitan solus diutius delitescere, rerumque mearum fatig-  
gere, quam VOBIS, DOMINI, molestus esse malui. Ast  
hoc ipso saluti meæ multum decessisse sentii. Ignosca-  
tis itaque, quæso, quod nunc, abjecto pudore, qui fe-  
re subrusticus videri poterat, præsentes pagellas VESTRO  
conspœctui exhibeam, eoque ipso, an quicquam in iis  
præstitum sit, quod approbationem mereatur, in arbitrio  
VESTRO, VESTRAQUE sententia collocem. Est equi-  
dem, quod offero, perexiguum, & TANTIS NOMINIBVS  
vix dignum, sed, si, DOMINI, animum spectetis, fatis  
magnum

magnum. Accipiatis modo illud serena fronte, Vosq[ue]  
habeatis persuasos, hoc unico id effici posse, ut in poste-  
rum ingenii vires in ejusmodi meditationibus exerceam,  
ex quibus major in Rempublicam literariam redundabit  
utilitas. Quod reliquum est, NVMEN IMMORTALE, Vos,  
in solatium Patriae & rerum Academicarum ad se-  
ros usque annos praestet salvos & incolumes.

Scribebam Vitembergæ Saxonum

d. II. Jan. cIɔ Iɔ cc XXXI.

## TANTORVM NOMINVM VESTRORVM

Humillimus Cultor

D. JO. GODOFREDVS SCHAVMBVRG.



## Fundamenta Doctrinæ

De observanda æqualitate inter rem & pretium in  
contractibus permutatoriis.

### §. I.

**S**tatum illum humani generis primævum & felicissimum, ubi terra absque omni fere cultura proferebat, quæ ad necessaria vitæ subsidia conferre videbantur, ubi natura paucis contenta erat, ubi demum ambitio, lis & invidia exulabant, non diu perdurasse, sed mox, multiplicato genere humano, quemlibet res, quæ haec tenus nullius fuerant, per occupationem, sibi vindicasse, ea que ratione dominia rerum cœpisse, id adeo evictum est, ut nemo amplius de veritate rei dubitet. Nec deinde quis item de eo movebit, quod novum illud institutum humanum communem produxerit indigentiam. Non enim omnis ferebat omnia tellus, & sic non poterat non fieri, quin alter his vel illis rebus, ad conservandam vitam necessariis, destitueretur, quibus alter abundabat, hic vero iterum quereret talia, quæ forte fortuna alii ex terra occupata obveniebant. Quæ cum ita sint, quilibet vel conjectura statim assequi potest, homines necessario cogitare debuisse de mediis, indigentiam illam tollendi, & res invicem communicandi. Nisi enim alter, cui copia rerum

A erat,

erat, illum, cui necessaria vita subsidia deficiebat, adjuvasset, huic fine dubio pereundum fuisset, imo nec semper, qui hac vel illa re abundabar, exitium evitasset, nisi carentia alterum coegeret, ut illius auxilium imploraret, idque vel communicatione alius rei necessaria, vel etiam præstatione cujusdam servitii remuneraret.

## §. II.

Illa itaque indigentia homines commercia edocuit, hæc vero, cum aliud ab initio deesset medium communicativum, mediante permutatione promovebantur. Mox tamen propter frequentes lassiones exinde oriundas modus ille communi consensu pro insufficienti declaratus, inque ejus locum hoc medium substitutum est, ut qualibet res juxta quantitatem moralem æstimaretur, ejusque certum ubique pretium esset, nec prius in alium transmittetur, quam promissa vel data certa metalli specie, cuius valor æstimationi rei conveniret. Atque hac occasione duplex innotuit pretium, aliud, quod tribuebatur rei, quam quis comparare volebat, aliud, quod assignabatur metallo, in compensationem rei dando. Prius Doctores Juris Naturalis vulgare, posterius eminentes, nominant.

## §. III.

Ab instituto nostro interim alienum est, doctrinæ de pretio eminenti diutius inhærente. Quod vero attinet pretium vulgare, de eo ulterius notandum, dupli ratione ejus determinationem fieri, vel per legem, vel per conventionem. Unde iterum enata est distinctio inter pretium legale sive legitimum, & conventionale. Sicuti vero lex non solet rebus imponere certum pretium, nisi Reipublicæ simul ejus rei intersit, ita per se patet, ejusmodi pretium plane nullam admittere latitudinem, sed in puncto velut consistere, ita, ut ille, qui ulterius, ac legi convenit, æstimat, notam injustitiae non effugiat, illi vero, qui rem cariori pretio com-

comparare adigitur, jus enascatur, de minima l*æ*sfione conque-rendi. Quid quod, qui contra legem sciens impingit, & injusta æstimatione alium l*æ*dit, pœna dignus censeatur. Plane aliter se res habet cum pretio conventionali. Illud enim a mero contrahentium arbitrio dependet, & nullibi prohibitum legimus, quo minus quis res suas in infinitum æstimare possit. Plures sane esse possunt circumstantia, quæ difficilem reddunt rei acquisitionem, vel conservationem, ut sic earum alienatio non nisi cariori pretio fiat. Nonnunquam rei cohærent certæ qualitates, quæ efficiunt, ut pretium augeatur vel minuatur, & propterea Princeps hic au-toritatem suam interponere, aut certum ejusmodi rebus pretium assignare nequeat. Sic rei utilitas, raritas, pulchritudo pretium variat. Pluris æstimantur res, quæ non sine temporis dispendio & magnis impensis acquiruntur. Periculum, quod quis, res ac-quirendo, subire cogitur, pretium auget, & quæ sunt id generis alia. Manet itaque illi, qui res suas in alium transferre cupit, li-berum eas æstimandi arbitrium, sed competit etiam illi, qui rem noviter acquirere vult, plena facultas, utrum eam tanti compa-rare, an estimationi aliquid detrahere velit, nec prius dici potest, rem recipere certum pretium, quam inter utrumque contrahen-tium de eo convenerit. Ex quo conspicuum est, pretium con-ventionalis admittere quandam latitudinem, nec eum, qui semel in pretium consentiit, indistincte audiendum esse; licet l*æ*sfionem subesse prætegat. Et hoc temperamento adhibito defendi etiam poterit opinio eorum, qui circumventionem in contractibus, ubi determinatio pretii contrahentium arbitrio relista est, Juri Natu-rali haud repugnare adstruunt.

## §. IV.

Cave tamen existimes, omnem omnino circumventionem ut licitam defendi, aut ex Jure Naturali salvare posse. Primo enim graviter peccant contrahentes, qui dolose se invicem inducunt,

A 2

ut

ut pretium pro re solvatur, quod æqualitatem cum ea non habet. Et vel ideo, quia neque jura decipientibus succurrunt, neque alter ex dolo suo lucrum captare potest, contractus ea ratione celebratus nullitate laborabit, quam minimam etiam laſionem contineat. Fieri deinde etiam potest, ut errore quis inductus rem pro pretio justo minore dimittat, vel eam pretio paulo cariore comparet. Turic fane, si error ex postfacto appareat, non semper contrahentes laſionem exinde oriundam æquo animo ferre debent, sed res iterum ad æqualitatem redigenda, & an contractus subsisteré possit nec ne, ex regulis, quæ de errore in contractibus admisso jura suppeditant, dijudicandum erit. Et in eo quidem Doctores tantum non omnes conveniunt. Non itaque alio in casu circumventionem admittere possumus, quam si citra dolum vel culpam contrahentium inæqualitas inter rem & pretium deprehendatur, quod ea quidem ratione contingere potest, quando ille, qui rem dimittit, ignoravit nonnullas qualitates rei cohærentes, quæ pretium augere vel minuere potuissent, & sic ex postfacto appareat, quod aut ipse laſsus sit, quia pretium vilius accepit, aut inscius alterum, qui rem cariore pretio comparavit, laſserit. Hæc ipsa tamen sententia iterum ex præceptis Juris Naturalis temperanda est, ne arbitrium circumveniendi nimis extendatur, cum ea ratione facile impingi possit contra regulas justi, quæ lucrum cum alterius detrimento conjunctum damnant. Et hinc sit, ut Doctores laſionem modicam, ab ea, quæ est alicujus momenti, distinguant, ita quidem, ut contrahentes de modica laſione sibi invicem respondere non debeant, laſionis vero magna emendatio, si denegetur, ipse contractus nullus sit. An fundamento quodam, & quali innitatur hæc distinctio, id ulteriorem meretur discussio nem, quam tamen hic præoccupare nolumus, cum infra melior ea de re differendi occasio seſe offerat. Hic tantummodo generaliter ea præsupponenda censemus, sine quibus sequentia vix dijudicari possunt,

§. V.

## §. V.

Ponamus interim, distinctionem illam utilitate sua non destituvi, non tamen diffiteri possumus, quod illa admissa neque commerciis neque contrahentibus satis consultum sit. Quantitatem enim lœsionis admittendæ vel non tolerandæ Jura Naturalia speciatim non determinant, & sic semper inter contrahentes metuenda sunt lites circa questionem, quæ lœsio modica, quæ e contrario magna, dici mereatur. Aut itaque illa res conscientiæ contrahentium relinquenda, aut a judice ex officio & ex æquo & bono dirimenda, aut a legislatore humano punctum quoddam constitutendum erat, in quo gradus lœsionis permissa finirentur. Et nobis quidem admodum probabile videtur, admissa semel illa hypothesi, lœsionem magnam jus dare lœso, ejus emendationem postulandi, & olim & sequioribus temporibus plerisque gentibus usu venisse, ut contrahentes lites ea de re ortas arbitrio judicis submitterent, cum nullibi legatur, certum quid ea de re legibus publicis statutum fuisse. Solis ab initio Romanis juxta ea, quæ ex Constitutionibus antiquis collegit Justinianus Imperator per Tribonianum suum, a DIOCLETIANO & MAXIMIANO prescripta est lex specialis, qua determinatur, eam tantummodo attendendam esse lœsionem, quæ excedit dimidium justi pretii. Extat illa decisio in I. 2. C. do rescindend. vendit. hujus tenoris: *Rem majoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit: bumanum est, ut vel pretium te restituente emtoribus, fundum venundatum recipias, autoritate judicis intercedente: vel si emtor elegerit, quod deest justo pretio, recipias. Minus autem pretium esse videatur, si nec dimidia pars (veri) pretii soluta sit.* Deinde etiam Germani, post receptionem Juris Romani, suasu Doctorum, æquitatem legis prætegentium, illam decisionem ita suam fecerunt, ut regulam quandam universalem, juxta quam casus obvenientes decidendi essent, constitueret.

## A 3

## §. VI.

## §. VI.

Hæc itaque doctrina de observanda æqualitate inter rem & pretium, prouti eam hactenus generatim proposuimus, ad nostra usque tempora communi fere Doctorum calculo approbata est. Et cum optime cohærere videantur illæ propositiones: Indigenitatem homines ad permutationem, hujus vero inæqualitatem ad constituenta rerum pretia induxisse, postea ipsam conservationem amicitiaæ aut socialitatis exegisse, ut in pretiis, quæ ab arbitrio contrahentium dependebant, determinandis, Legislator humanus modum, certumque finem constitueret, ne contrahentes se pro lubitu circumvenirent, neve alter eorum anam arriperet, validitati patitorum pro lubitu vim iterum adimendi; hinc nemo ab initio credidit; in lege illa Romanorum, quæ punctum lassionis constituit, subesse speciem quandam iniquitatis. Quo magis ergo opinio illa de æquitate dictæ legis se animis Doctorum insinuaverat, eo majori admiratione orbis literatus excipiebat Dissertationem, quam Illustris THOMASIVS conscripserat eum in finem, ut demonstraret, æquitatem illam non esse genuinam, sed valde cerebrinam, qua in doctrina eo usque progressus est, ut, quantum ego quidem assequor, omnem plane atque illimitatam circumventionem, quæ citra dolum vel culpam sit, in contractibus permutoriis admittat, nullanque exinde oriundam lassionem, sive modica, sive magna sit, ex principiis Juris Naturalis resarcendam esse existimet.

## §. VII.

Nova illa opinio, quod regulariter fieri solet, suos inveniebat defensores, & adversarios. Neminem equidem scio, qui Viro Illustri publice ideo litem movisset; Ego vero ipse doctrinam Ejus communi opinioni adversam, æquo animo ferre non potui, sed illi Dissertationem de aequitate & usu Practico I. z. C. de rescind. vendit. opposui. Ingenue tamen fateor, & simul doleo, quod

quod ea occasione terminis, uti dicunt, generalioribus opinio  
mea inclusa, specialis assertorum demonstratio omissa & vis argu-  
mentorum, quæ dissensui meo majorem fidem conciliare po-  
terant, nimis neglecta sit. Sine dubio enim exinde factum est, ut  
alii partim me, de Dissertatione aut plane suppressimeda, aut alio  
modo emendanda, monerent, partim publice ejus refutationem  
fusciperent. Posteriori præsertim peregit Anonymus quidam, qui  
nonnunquam orbi literato exponit, quid ipsi de hoc vel illo casu  
juris dubio videatur. Speciatim dissensum suum declaravit in  
casu proposito von einem Pferde-Verkauff, da das Pretium nach  
Anzahl der Huf-Nägel so, daß der erste mit einem Gersten-Korne,  
der andere mit zwey, der dritte mit viere, und so fort an bezahlet wür-  
de, gesetzet werden, atque ibi simul in eo fuit, ut demonstraret,  
omnem ex inæqualitate pretii oriundam laſionem esse damnan-  
dam, legemque Diocletiani vel ideo taxandam, quod punctum  
quoddam, in quo laſio finiatur, determinet, nec emendationem  
laſionis quæ punctum non attingit, admittat. Ex quo simul ap-  
paret, eum magis ex nova ratione opinionem, quod lex prædicta  
plane iniqua sit, stabilire, quam Thomafii sententiam de æquitate  
illius cerebrina defendere voluisse.

### S. VIII.

Diu mecum deliberavi, an & monitis, de quibus antea dixi,  
morem gererem, & cum adversario meo de æquitate vel iniqui-  
tate legis contenderem, atque deinde re satis perpensa credidi,  
ad firmandam thesin meam sufficere posse ea, quæ dixi in der  
Einleitung zum Sächsischen Rechte P. III. Sect. II. Ex. IV. §. 15.  
Sed cum mihi in foro versanti denuo sese sisteret casus, ubi al-  
tera pars laſionis ultra dimidium reparationem ex l. 2. C. de re-  
ſcindend. vendit. urgebat, eaque de re mutuis positionibus dimi-  
candum erat, res ipsa, quæ ab utilitate sua se maximopere com-  
mendat, mihi tanti videbatur, ut statim apud animum constitue-  
rem,

rem, in fundamenta doctrinæ de observanda æqualitate in contractibus ulterius inquirere, eaque, quæ olim ea de re dixeram, novis meditationibus illustrare. Et hac occasione deprehendi quidem, rem optima ratione confici, & de Thomæ ac Anonymi illius opinione judicium ferri posse, si prius de duabus illis propositionibus sufficienter constet. I) An in contractibus permutatoriis æqualitas inter rem & pretium observanda sit. II) An legislator humanus, citra notam iniquitatis, punctum læsionis emendandæ ita constituere possit, ut alius & minoris læsionis reparatio plane fieri non debeat? Videamus itaque pro instituti ratione de utraque sigillatim, atque ea, qua fieri potest, brevitatem, perspicuitatem & moderationem demonstremus, nobis vitio verti non posse, quod neque olim Thomasio assensum præbuerimus, neque adhuc cum eo, vel Anonymo, faciamus.

## §. IX.

Quod itaque primum attinet membrum, probe ante omnia notandum est, quæri hic tantummodo de contractibus onerosis sive permutatoriis. Per contractus vero onerosos omnes illos intelligimus, ubi utrique contrahentium ex patrimonio suo aliquid quidem decedit, sed utriusque tamen patrimonio mox iterum aliquid accrescit, vel, ubi uterque contrahentium onus quoddam suscipit, ut commodum exinde habeat. Sic in emtione venditione emtor ex suo pretium solvit, & mediante eo rem acquirit, vendor e contrario rem dimittit, ut pretium habeat. Eadem ratione in permutatione uterque rem dat, ut res ipsi detur. Qui locat, fructus rei suæ alteri relinquit, ut commodum ipsi ex mercede obveniat, &, qui conductit, mercedem non solveret, nisi ex fructibus alienæ rei ipsi utilitas enasceretur. Qui societatem ineunt, omnes pecuniam eum in finem collocant, ut lucrum faciant.

## §. X.

## §. X.

Et in his quidem contractibus æqualitatem observandam esse, adstruximus §. XVI. sqq. prioris Dissertationis. Nec hac vice alter sentimus. Ipsa enim natura horum contractuum docet, quod contrahentes non alio fine aliquid dent vel præstent, quam ut tantum recipiant. Deinde nihil tam naturale esse videtur, quam quod onus & commodum inter contrahentes ita distribuatur, ne alter plus damni sentiat, quam ipsi utilitatis obvenit. Convenit id principio Juris Naturalis, quod nemo cum alterius damno, locupletior fieri debeat. Ipsa ratio, pretia rerum introducendi non alia fuit, quam ut inæqualitas, quæ propter defectum medii sufficientis, ex abundantia sua alterius indigentia, citra tamen proprium damnum, succurrendi, sese sèpissime exerebat, evitaretur, e contrario vero per determinationem pretii res in eum statum dederetur, ut neuter contrahentium de inæqualitate vel laßione admissa conqueri posset. Eo enim tempore, ubi aliud commercia promovendi medium, præter solam permutationem, non supererat, non poterat non fieri, quin contrahentes, quamvis invita, sèpius impingerent contra regulam, quæ rei suæ distractionem cum alterius detimento conjunctam damnat. Et exinde etiam factum est, quod introductis rerum pretiis ille, qui rem suam dimittere, atque pretium pro ea recipere volebat, jure quodam cogeretur, ad detegendas omnes rei qualitates, omniaque vitia, quæ in oculos non statim incurrebant, ut sic, lite forsitan superveniente, eo citius inveniri atque determinari posset, an æqualitas observata sit, nec ne.

## §. XI.

Objicies hic forsitan, rationem illam, quæ in contractibus onerosis æqualitatem servandam esse jubet, adeo esse generalem, ut nec cesset in contractibus beneficis. Exinde enim, quod nemo cum alterius damno locupletior fieri debeat, fluere etiam obliga-

B

tionem

tionem, quæ commodanti, mandanti, deponenti injungit, ut commodatarium, mandatarium, depositarium indemnem præstent, si præter commodum onus aliquod forsan receperint, atque in rem, quam gratis quidem utendam acceperant, in negotium, quod gratis expediendum suscepserant, impensas fecerint. Sed salva nihilominus res est. Quamvis enim haud negari possit, omne fundamentum actionum illarum, quibus indemnitatem consequi intendimus, positum esse in principio illo de non captando lucro cum alterius damno conjuncto, primo tamen contractus benefici non semper & necessario ejusmodi actiones producunt, quia esse potest commodatum, depositum & mandatum, ubi nullas omnino impensas fecit ille, cui usus rei gratis concessus est, quiqe se ad rem gratis expediendam vel custodiendam obligavit. Deinde vero, si forsan pro qualitate circumstantiarum quicquam oneris in contractibus beneficis suscepsum sit, ejusque reparatio urgeatur, id tamen non ex natura contractus fluit, sed ex accidenti evenit, adeoque quidem æqualitas quodammodo observanda est, sed non alia ratione, quam quatenus forte fortuna casus supervenit, quo officium, a contrahente susceptum ipsi damnosum fieret, nisi indemniss præstaretur. Atque sic intelligi possunt ea, quæ habet GROTIUS de Jur. Bell. & Pac. Lib. II. Cap. XII. §. 13. dum inquit: *Notandum est, quandam rei æqualitatem spectari & in contractibus beneficis, non quidem omnimodam, ut in commutatoriis, sed ex suppositione ejus quod agitur, ne quis scilicet ex beneficio damnum sentiat.* In tantum vero contractus benefici lœsionis emendationem respuunt, ut, licet contrahentes dissimulent, quale negotium celebrare velint actuique ipsi nomen cujusdam contractus permutterii imponant, nihilominus rescissioni nullus locus detur, si ex circumstantiis appareat, negotium illud magis accedere ad speciem beneficii. Dilucidum asserti exemplum præbet venditio geradæ uno nummo factæ. Sub ea enim revera latet donatio,

&amp;

& hinc etiam postea non attenduntur querelæ de lœsione, licet hæc maximi momenti sit.

## §. XII.

Sed in viam. Vidimus hactenus, quodnam sit fundamentum æqualitatis observandæ. Sicuti vero hac ratione ille, qui illud officii genus, quod alteri debet, vili habet, eum lœdit, ita per se patet, eum ex regulis justitiæ quoque obligatum esse ad damnum per lœsionem existens resarcendum. Et id quidem, si lœsionem voluntariam spectas, quæ ex dolo vel culpa provenit, dubio plane caret. Major vero difficultas suboritur, in definienda quæstione, an æqualitas catenus observanda sit, ut lœsio etiam tunc emendari debeat, si nihil circa ipsam rem, ejus qualitates, privationes, atque vitia dissimulatum sit, sed post contractus consummationem, nulla pacientium culpa interveniente, detegantur qualitates & vitia rei, quæ quidem tempore contractus jam adfuerunt, ideo tamen, quia neutri contrahentium innotescabant, in determinatione pretij spectari non potuerunt? Affirmavimus eam cum GROTI, PVFENDORFFIO, TITIO & aliis, nec desunt prægnantes rationes. Primo enim admodum credibile, & rationi conveniens est, quod illi, qui promittunt vel dant, id ea intentio faciant, ut æquale quid accipiant. Et in contractibus permutatoriis id utrinque proponitur, minimum proponi debet, ut uterque contrahentium tantundem habeat. Ille quoque, qui rem comparat, semper subintelligere videtur conditionem, quod illa res, circa cuius acquisitionem occupatus est, pretio æqualis sit. Deinde hoc in casu non cessat obligatio ex lege illa de non captando injusto lucro, & de non lœdendo alio oriunda. Licit enim ab initio contrahentes contra illam legem non peccent, cum neuter alterius deceptionem meditetur, aut culpam admittat, sed inscius potius lœdat, simulac tamen rescivit, tales ex postfacto sese exercere rei qualitates & vitia, quæ efficiunt, ut inæqualitas inter

rem & pretium oriatur, nec tamen de emendanda lassione sollicitus est, nunc minimum sua voluntate lassit, dum sciens lucrum captat, adeoque aliquid Juri Naturali contrarium admittit.

### §. XIII.

Impugnavit hoc assertum THOMASIVS cit. *Dissert. cap. 2.*  
**§. 15. sqq.** Hic enim, dum & in eo est, ut demonstret, leges de non admittenda lassionis emendatione quicquam statuentes esse iniquas, id optima ratione fieri posse creditit, si prius destrueretur fundamentum, quo præsertim innitur doctrina de spectanda & emendanda inæqualitate rei & pretii in contractibus permutoriis. Argumenta, qua hujus rei causa cumulavit, huc præsertim redunt; quod pretia rebus non insint, sed ab arbitrio hominum merito eoque stulto magis, quam sapiente dependeant, eatenus, ut res tanti valeat, quanti stultus eam estimet; quod, cum illi, qui rem dimittere vult, limites non ponantur, quoisque rem suam estimare velit, cum etiam alteri, qui rem comparat, relinquatur libertas, estimationi illi detrahendi, neuter contrahentium, simulac in pretium consentiit, conqueri possit, sibi injuriam fieri; quod porro ad naturam conventionum, earumque validitatem sufficiat, cuique æqualem libertatem competere paria faciendi; quod tandem alter contrahentium votum rem pretio viliore comparandi, alter votum rem cariore pretio detrahendi ad paciscendum accedit, & post multas contentiones, altero de eo, quod petierat detrahente, altero huic, quod obtulerat, addente, ad certum pretium consensus fiat. Sed hæc omnia nos non movent, ut opinionem nostram mutemus. Re enim accurate perpensa id conspicimus, argumenta illa quidem inanes reddere lites de lassione ex contractibus, ubi omnes rei qualitates, atque omnia vitia utrique paciscentium cognita fuerunt. Ast sententiam de emendanda lassione, exinde oriunda, quod de qualitatibus & vitiis non satis constiterit non infringunt, cum in hoc casu nulla ratione adstrui possit,

fit, verum consensum adfuisse, sed potius probabile fit, quod ille, qui rem dimittit, si qualitates rei scivisset, hanc pluris quoque aestimasset, ille vero, qui rem comparat, si vitia cognovisset, pretio soluto sine dubio aliquid detraxisset. Quia vero uterque in ignorantia erat constitutus, & neuter de iis, quæ latebant, cogitabat, hinc nec dici potest, pacientes consensum suum intuitu pretii constituendi ita dedit, ut eo ipso juri, de inæqualitate pretii & ipsius rei conquerendi, tacite minimum, renuntiatum sit.

### §. XIV.

Magis forsan sententia nostræ obstabit dubium ab eo desumendum, quod neque ille, qui ignorans qualitates rei illam pretio viatori dimittit, neque, qui de vitiis non sollicitus rem pretio cariore comparat, culpa careat. Non enim condonandum videtur ei, qui res suas adeo negligenter curat, ut, quid valeant, quidve ipsas ad meliorem usum habiles reddit, nesciat. Si itaque ea de re contrahendo laddatur, alteri nihil imputandum erit, sed sua culpa datum sentit, quod per jura notoria sentire non videtur. Eadem est ratio, quæ illum, qui rem comparat, impedit, quo minus lassionis reparationem urgere possit. Est sane signum lupitæ negligentiæ, si, qui ad contrahendum accedit, de eo tantum sollicitus est, ut rem acquirat, parum interim curans ejus virtutes & vitia. Quodlibet pactum circumspectionem desiderat. Qui vero in pretium certum, nimia fiducia fretus, rem ad usum, quem optat, esse habilem, inconsiderate consentit, ex postfacto autem experitur, spem eum sefellisse, sibi deinde imputet, quod laesus sit, & in posterum cautius mercari discat. Nec Jus Naturæ laeso assistere videtur. Sane qui nescit, quod scire debebat & poterat, in ignorantia voluntaria constitutus est, quæ nulla ratione excusationem meretur.

### B 3

### §. XV.

## §. XV.

Prævidi jam hoc dubium in *Dissertatione priori de equitate et usu Practico l. 2. C. de rescind. vend. §. 9.* & nonnullos casus ibi adjeci, quos ita comparatos existimavi, ut ipsis ea, quæ modo latius prosecutus sum, vix objici possent. Re deinde melius cogitata animadverti equidem, & illis hactenus dicta obstarere. Ast quod rem ipsam attinet adhuc cum dissentientibus de victoria certabo. Substituam primo alios casus. Cohæsit scilicet diu prædio quoddam jus vendendi vinum, quod exteri afferunt. Propter calamitates publicas, bellum, contagionem, civitas ab incolis deseritur, vel hostis civitatem devastat, incolas expellit, atque bona immobilia vacantia inter suos postmodum distribuenda occupat, nec pace subsecuta reddit. Novus possessor ignorans illam qualitatem rem alteri pretio viliori vendit, quam sine dubio, si ipsis de illo jure constitisset, pluris astimasset. Emotor deinde ex postfacto forte fortuna admonitus jus hoc in usum deducit. Hic nemo negabit, venditorem læsum fuisse. Sed quis unquam defendere poterit, ejusculpa læsionem contigisse eumque propter voluntariam ignorantiam damnum sentire debere? Quis unquam talem circumspectionem a contrahente exiget, ut sollicitus sit de cognoscendis ejusmodi qualitatibus, de quarum existentia nemini concivium constat! Dabo alium casum. Emit quis domum, quæ primo intuitu nulla vitia sifit. Omnem prius circumspectionem adhibet, quam pretium solvit. Non ipse solum domum oculis subjicit, sed & peritiores consultit, artis peritos in rem præsentem ducit. Omnes testantur, domum ad usum, quem emtor optat, esse habilem. Sed paulo post pretium solutum, domus minatur ruinam, & ex postfacto limina ejus, vel etiam tigna putredine comprehenduntur corrupta, iis in locis, quæ nemo accedere, minimum propter impedimenta, quæ offert reliquus apparatus, pariebus aliisque domus partibus applicatus, non accurate investigare potest.

poterat. Forsan etiam multitudo vermium columnas ædium intra quidem ita in pulverem redigit, ut vix fulciendæ domui amplius sufficient. Totam ideo domum emtor reparare, totque impensas facere cogitur, quæ ipsum fere rei pretium attingunt. Et hac ratione grave damnum incurrit, neque culpa venditoris (hunc enim vitia illa simul ignorasse, præsuppono) neque sua culpa. Media adhibuit vitia detegendi, quæ potuit. Nil itaque ipsi imputandum erit, nec quicquam obstat, quo minus læsionis emendationem urgeat.

### §. XVI.

Sed, inquis, finguntur hic casus nunquam forsan extituri. Dabo id paulisper, & plus dabo concedendo etiam id, quod alteri contrahentium per ea, quæ sub initium prioris ſphi dixi, semper & ubique ignorantia voluntaria objici possit. Sit ita, quod, qui rem alienat, ignorans illas qualitates, quas scire debebat atque poterat, eam viliori pretio distraxerit, & sic læsus fit. Ponamus casum, quod, qui rem comparat, circa investiganda ejus vitia negligens, tantum dederit, ut postea deprehendatur inæqualitas. Ideo tamen res nondum confecta est. Peccabit enim nihilo fecius altera pars contra regulam de non captando lucro cum alterius damno conjuncto, nec in conscientia securus erit, si læsionis reparationem recusat, cum nulla omnino ratio, adsit, quare lucrum ipse retinere possit. Sane deficit primo voluntas alienantis vel rem dimittentis. De eo enim, qui ignorat, dici nequit, quod voluerit contrahere super id, quod ignorat, & inter omnes constat, ignorantiam obesse vero consensui. Si lædens forsan donationem ex parte laſi intercessisse prætegat, obstat ei regula, quod nemō suum jactare velle præsumatur, nec eam præsumptionem sola ignorantia excludit. Nullibi itaque verum quendam consensum, quamcunque etiam ejus speciem spectes, invenies. Deinde qui alteri sua negligentia læſo satisfactionem denegat, nulla lege mutitus

nitus est. Præterea enim, quod neque naturalis neque positiva lex hoc in casu permittant, quod quis cum damno alterius locupletior fieri possit, lœdens quoque, contra utramque legem impingit, dum sciens lucrum injustum captat, & ex proœfisi lœdit. Nec demum poenæ nomine lucrum retineri potest. Inter privatos enim jus puniendi cessat, nisi alter conventione quadam se ad poenam obliget. Ast ubi hoc in casu illa conventio? Ubi laſsus in poenam conſentit? Ubi jus exigendi concessit? Fingis forsitan, sed absque lege & contra veritatem fingis. Et sic tota corruit objectio de negligentia contrahentibus imputanda, satis quidem speciosa sed non tanti roboris, ut veritatem obscurare possit.

### §. XVII.

Ex hactenus dictis itaque sufficienter appetat, graviter pecare eum, qui laſionis etiam involuntariae, si talem in contractibus permutatoriis contigisse ex postfacto appareat, emendationem denegat. Ast cum omne fundamentum hujus obligationis quaerendum sit in præcepto de non lœdendis aliis, & non captando lucro cum alterius damno conjuncto; res ipsa etiam exigere videtur, ut omnis laſio, qualis qualis & minima licet sit, reparetur. Quo admisso id etiam sequi videtur, divisionem inter laſionem minoris momenti sive modicam, & qua attentionem meretur, sive magnam, fundamento destitui, nec Doctores notam injustitiae atque suspicionem, quod Juri Naturali aliquid contrarii admittant, evitare, quando lœdenti magna quidem laſionis emendationem recte injungi adstruunt, laſionem vero minoris momenti non curant. Sed statim dubius habebis, quorum te vertas, si rationes Doctorum ita distinguentium paulo accuratius perpendis. Primo enim indoles rerum humanarum haud permittit, ut pretia rerum semper accurata & exæcta penitus proportione constituantur. Deinde non potest non fieri, qvin imposita necessitate omnem omnino laſionem reparandi, commercia mutua multum patientur detrimenti.

menti. Nemo porro ea ratione de dominio rei suæ satis certus esset. Ipsi validitati pactorum, quæ tamen ad socialitatem & amicitiam conservandam mirifice confert, vis fieret. Verbo: cives invicem nunquam amice & tranquille viverent, & nemo forsitan ad contrahendum facile accederet, si semper periculo expositus esset, ut ipsi litigium super inæqualitate pretii & rei moveretur. Cum itaque, five hanc five illam opinionem spectes, ubique inveniantur Juris Naturalis præcepta, & rationes, quæ invicem collidunt, dum nempe ex altera parte injungitur: Neminem læde, læsionem emenda, ex altera vero parte urgeatur obligatio, ut quilibet ea, quæ ad conservandam amicitiam spectant, conferat, utilitas ex pactorum validitate oriunda, favor commerciorum, &c. &c. non alia ratione nos hic expedire, nec ea, quæ sibi videntur contraria, conciliare possumus, quam si ex doctrina de collisione legum supponamus, quod in concursu plurium legum, quæ simul observari nequeunt, illa semper præferenda sit, quæ se magis ab honestate & utilitate commendat. Hoc enim præsupposito nulla forsitan Juri Naturali vis infertur per distinctionem supra allatam, cum sine dubio societati humanæ magis conducat, si imprudentia & negligencia, contrahentium circa investigandas rei qualitates aliquid imputetur, aut aliqualis læsio in contractibus admittatur, quam si subditi cogantur, ut strictim observent legem de omni læsione repanda.

### §. XVIII.

Hoc temperamento adhibito, facili ratione assequi possumus causam, quare nec Jus Naturæ ab initio contractus exactam pretii determinationem, sed id tantummodo exigat, ut contrahentes circa ejus constitutionem æquitatem observent. Ex eodem fonte profluxerunt, minimum, si nimis generatim loquantur, explicandas sunt leges civiles, quæ nolunt, ut contractus permutteretur. Sic enim

C

habet

habet l. 1. Codic. Theodos. de contrabend. emtione : Venditionis atque emtionis fidem nulla circumscriptio nis violentia factam rumpi minime decet. Nec enim sola pretii vilioris querela contractus sine ulla culpa celebratus litigioso strepitu turbandus est. Et iterum l. 4. Cod. Theodos. eod. tit. sequentia disponit : Quisquis major etate atque administrandis familiarum suarum curis idoneus comprobatus praedia etiam procul sita distracterit, etiamsi prædii forte totius quolibet casu minime facta distractio est, repetitionis in reliquum, pretii nomine vilioris, copiam minime consequatur; neque inanibus immorari sinatur objectis, ut vires sibi metu causetur locorum incognitas, qui familiaris rei scire vires, vel merita atque emolumenta debuerit. Porro l. 7. C. Theodos. sic loquitur : Semel inter personas legitimas initus emit contraclus & venditi, ob minorem adnumeratam pretii qualitatem nequeat infirmari. Et alia lex Diocletiani & Maximiani scilicet l. 8. C. de rescind. vendit. ad eandem videtur inclinare opinionem, dum hæc statuit : Si voluntate tua filius tuus fundum tuum renundedit, dolus ex calliditate atque insidiis emtoris argui debet, vel metus mortis, vel cruciatus corporis detegi, ne babeatur rata venditio. Hoc enim solum, quod paulo minore pretio fundum venditum significas, ad rescindendam venditionem invalidum est.

### §. XIX.

Id ultimo loco prætereundum non est, quod obligatio læsionem emendandi semper & ubique presupponat objectum, circa quod contractum est, ipso tempore contractus ita comparatum fuisse, ut certam estimationem recipere potuerit. Alias enim plane dijudicari nequit, an quis ex contractu læsus fit, nec ne. Si vero talis incertitudo adsit, quæ efficit, ut de læsione certo non constet, tunc sane cessabit fundamentum obligationis, læsionem reparandi, cum dici non possit, alterum cum alterius damno fieri locupletiorem, quando, an damnum datum fit, liquido demon-

monstrari nequit. Et hinc est, quod nulla l<sup>a</sup>f<sup>i</sup>onis ratio habeatur in iis casibus, ubi contrahitur de re dubia. Pertinent huc omnes contractus, qui aleam continent, v. g. Sponsio, hereditas tanquam spes emta, jactus retis emtus. Præsertim vero ex præmissis decidenda est quæstio, an transactio, quippe quæ semper fit de re dubia, rescindi queat, si alter transigentium de l<sup>a</sup>f<sup>i</sup>ione illata conqueratur. Merito eam negavimus *in priori Dissert.* §. 23. usque ad finem, nec nunc sententiam mutamus, ea etiam præprimis commoti ratione, quod in ejusmodi contractibus, de quibus jam sermo est, statim ab initio adsit species quædam donationis, eo in casu valida, si postea appareat, æqualitatem non adesse. Ille enim, qui de re dubia paciscitur, semper prævidere potest, quod l<sup>a</sup>f<sup>i</sup>o evitari nequeat. Quia vero hoc non obstante transigit, minimum tacite in l<sup>a</sup>f<sup>i</sup>ionem consentit, eoque ipso juri suo eatenus renunciat, quod damnum, de quo ex postfacto forsitan constet, urgere nolit, atque sic alterum, cui lucrum aliquod obvenit, sciens atque volens ab omni obligatione, illud iterum dimitendi, immunem præstat.

## §. XX.

E contrario, si objectum, circa quod contrahitur, ipso tempore contractus certum sit, certamque estimationem ex arbitrio contrahentium determinandam recipiat, jus tamen l<sup>a</sup>f<sup>i</sup>onis ex inæqualitate inter rem & premium oriundæ emendationem urgendi non intervertitur, licet vel maxime ipsa validitas pacti non a solo partium consensu dependeat, sed alias forsitan solennitates v. g. autoritatem judicialem, desideret. Forma enim illa a legibus præscripta arbitrium contrahentium circa estimationem rei & determinationem pretii non tollit, adeoque nec impedit, quo minus l<sup>a</sup>f<sup>i</sup>o existat, sed plane alias causas præsupponit v. g. ne per contractum Principi ratione onerum præjudicium inferatur, ne prædia perveniant ad possessores, qui impares sunt oneribus ferendis,

ne tertio, cui forsan jus aliquod reale in fundo competit, damnum detur, nonnunquam etiam, ut inquiratur in causam alienationis, an prægnans sit, quale quid fieri videmus eo præsertim in casu, si tutor vel curator bona pupilli vel minoris distrahere vult. Hac itaque ratione commoti in *Dissertationis prioris* §. 18. adstruximus, quod alienatio rei, quæ decreto magistratus interveniente facta est, ex capite lassionis impugnari, hujusque reparatio urgeri possit. Et firmiter adhuc credimus, eandem rationem subesse in alienationibus sub hasta factis, de quibus *ibid.* §. 19. egimus. Quod enim ille, qui rem publice proclamatam emit, non statim securus sit, sed debitor intra certum tempus rem reliuere, aut alium emotorem meliores conditiones offerentem fistere possit, id non aliam præsupponit causam, quam ut debitori, qui in ejusmodi quoque alienationibus, si res ejus pretio viliore distrahanter, laedi potest, iterum succurratur. Interim, si verum fateri volumus, plus legislatori humano tali in casu indulgendum est, ipsique facultas refectionem venditionum publicarum quavis ratione impediendi atque restringendi non deneganda, non ideo solum, quod finis subhastationis ille sit, ut lassiones ex arbitria pretii determinatione oriundæ evitentur, sed ex ea præsertim ratione, quia ipsi saluti subditorum convenit, ut rata sit venditio publica. Relicta enim debitori vaga arque illimitata, ejusmodi alienationes impugnandi facultate, sèpissime grave damnum incurrent illi, quorum interest, ut a debitore id, quod ipsi mutuo dederunt, consequantur.

### §. XXI.

Sic itaque sufficienter demonstratum est, observandam esse aequalitatem inter rem & pretium in contractibus permutatorii, illique, qui ex determinatione pretii lassus est, competere jus, lassionis emendationem postulandi. Progrediamur ad alterum hujus disquisitionis membrum, & videamus; an Legislator humanus Legibus positivis citra notam iniquitatis definire possit punctum lassio-

læsionis, ita, ut nulla alia læsio, quam quæ punctum attingit, atten-  
datur? Otiosam forsitan hanc quæstionem nonnulli judicabunt cum  
THOMASIO, qui in *Fundament. Juris Nature & Gent. Lib. 2.*  
*cap. II. §. 3.* in eam incidit opinionem, omnem læsionem, quacun-  
que etiam ratione eam factam esse pacifcentes prætegant, aut dolo  
alterius, aut interveniente vel utriusque vel alterutrius pacifcentis  
errore, existere. Dolum vero, qui circa contrahendum se exerit,  
jam præcepta Juris Naturalis ita coërcent, ut plane superfluum sit,  
si Legislator humanus hic officium suum exercere, atque ulterius  
quicquam determinare vellet. Atque idem jus doctrinam de errore  
circa pacifendum interveniente paucissimis regulis ita jam absolvit,  
ut iterum nihil remaneat, quod leges positivæ superaddere  
possint. Minimum nullus juxta Thomasii sententiam existere  
poterit casus, ubi lex, quæ & læsionis citra dolum vel errorem  
sese exerentis emendationem urget, utiliter applicetur. Atenim  
errant cum Illustri Viro, qui alium læsionis fontem præter dolum  
& errorem non admittit. Repetantur modo ea, quæ jam supra  
§. XIII. seq. præoccupavimus, & exinde apparebit, dari omnino  
læsionem, quæ neque ex dolo alterius proficiuntur, neque errore  
interveniente contingit, talem scilicet, quæ utroque pacifcentium  
in ignorantia constituto obvenit. Quemadmodum vero error &  
ignorantia ab invicem valde differant, & ille quidem involvat di-  
screpanciam inter conceptum nostrum & objectum, sive falsam  
ideam, quando intellectus pro vero falso apprehendit, hæc vero  
in simplici cognitionis privatione consistat, adeoque ibi quidem  
aliqualis, quamvis falsa, cognitio adsit, hic plane nulla; ita per  
se patet, quod controversia de emendanda læsione involuntaria &  
quæstio eo de casu emergens, quo qualitates rei latebant, & neutri  
partium cognitæ erant, ex regulis de errore, quippe qui non  
omnem cognitionem excludit, confici nequeat. Quæ cum ita sint,  
id exinde sequitur, Legislatorem humanum rem actam non agere,

si legibus suis, quantitatem lœsionis citra dolum, culpam vel errorem emergentis reparandæ, determinet, & sic quæstionem, qualis lœsio attendenda sit, lege positiva definiat.

§. XXII.

Cave tamen existimes, Principem necessitate quadam adstringi, ut ea de re in legibus suis disponat, aut absolute præcipiat, reparationem damni hac vel illa ratione fieri debere. Sufficere ipsi potest, quod Jus Naturale lœso jus concedat, lœsione existente contra lœdenter agendi, ut rem iterum in eum statum deducat, ubi de inæqualitate querela amplius moveri non potest. Relinquit itaque lœso, an jus prosequi, an actionem omittere velit. Licet enim vel maxime lege determinet, lœsionem emendandam esse, disponit tamen hoc ipso in gratiam solius lœsi. Hic vero favori pro se introducto quovis tempore renuntiare potest, & plures forsan eum admonent causa, ut actionem potius omittat, quam juri suo strictim inhæreat, inter quas non postremo loco numeranda est ipsa difficultas probationis, quod lœsio revera existat. Ulterius adhuc legislator humanus non peccabit, licet non definiat, an & qualem lœsionem lœdens reparare debeat, si ipsi de inæqualitate emergente lis moveatur. Acquiescere iterum potest, quod Jura Naturalia lœdenti obligationem imponant, damnum refaciendi. Nullibi enim Principi injungitur, ut illius juris præcepta répetat legibus positivis, atque iis vim obligandi externam conciliet, sed omnino tranquillam potest retinere conscientiam, modo internam obligationem non tollat, qua de re postmodum plura. Et sic nunquam Principi tribuenda est facultas, ut, an lœdens de damno oriundo respondere velit nec ne, ipsi legibus positivis permettere, atque jus, lœsum, qui damni reparationem urget, repellendi, ita concedere possit, ut lœdens lege humana suffultus conscientiam illasam servet. Hac enim ratione recederet a præcepto Juris Naturalis, ne quis injustum lucrum captet, de obligatione interna

terna disponeret, atque legibus universalibus, quibus ipse obler-  
vantiam debet, vim inferret.

## §. XXIII.

Sed, licet Legislator humanus necessitate quadam non adstringatur, ut eo in casu, de quo haec tenus sermo fuit, officium atque autoritatem interponat, atque sigillatim de modo & quantitate lœ-  
sionis emendandæ sollicitus sit, nullam tamen videmus rationem,  
quare ipsi deneganda sit facultas, ea de re, si velit, vel si salus  
Reipublicæ id postulet, speciatim quicquam disponendi, atque pro-  
positionem Juris Naturalis universalem ita legibus positivis cir-  
cumscribendi, ut nunc res non amplius arbitrio atque conscientia  
contrahentium relinquatur, sed his vel obligatio imponatur, ut  
arbitrium judicis vel boni viri agnoscant, vel, si hoc periculoseum  
videatur, punctum aliquod observetur, a quo incipient & in quo  
finiantur actiones de emendanda lœsione. Jure tale quid fieri posse,  
atque Principi generatim licere ut præter Jus Naturæ constituant,  
non communi solum Doctorum calculo approbatum, sed & suffi-  
cientibus dudum evictum est rationibus. Sunt vero omnia illa  
præter naturam, quando Princeps in illis negotiis, ubi lex natura-  
lis non præcise obligationem ut quid hac vel illa ratione fieri de-  
beat vel non, imponit, ubi tantummodo permittit, vel plane tacet,  
& sic non impedit, quo minus actus licite suscipiatur, ubi etiam  
rem in alteram partem non definit, ita potestatem legislatoriam  
exercet, ut tempus, modum, locum, personas speciatim determi-  
net, legem obscuram explicet, certam formam præscribat, jura  
naturaliter competentia restringat, & sic porro. Pertinent huc  
leges, quæ exempli gratia, præscriptionibus & majorenitati ter-  
minum ponunt, pacta nuptialia tum demum pro validis declarant,  
si trina proclamatio & benedictio sacerdotalis accesserit, cultui di-  
vino externo certum locum, templum scilicet, assignant, de pro-  
pinquitate sanguinis in successionibus observanda disponunt, ad te-  
stamen-

stamentorum validitatem certa solemnia requirunt, dispositionem de legitima admunt &c. Quæ omnia, cum per se satis clara sint, nec a quovis in dubium vocentur, ulteriori probatione non indigent. Illum vero, qui adhuc ea de re dubitat, ad WERLHOFII *Dissertationem de potestate Legislatoris humani circa ea, que sunt Juris Naturæ*, ex instituto conscriptam, & rationes inibi summa diligentia conquisitas remittimus.

#### §. XXIV.

Forsitan tamen hæc, quæ de potestate Legislatoris circa præcepta generalia modo generatim præmisimus, quilibet facile conceder, de applicatione vero ad eum casum, de quo principaliter queritur, dubitabit, & objiciet, fundamentum læsionis emendandæ esse præceptum de non capiendo lucro cum alterius damno conjuncto, hanc vero legem esse obligantem, & adeo stricte observandam, ut, si contrahentium alter sua voluntate atque sciens vel minimum lucrum captet, ille conscientiam lœdat. Graviter itaque peccare Legislatorem humanum, qui punctum ita constituit, ut illi, qui de minori læsione conqueritur, auxilium denegetur, cum hoc ipso tollatur obligatio ex generali illo præcepto oriunda. Urget hoc dubium præsertim TITIVS in *Observat. ad Lauterba hii Compend. Jur. observat. 541.* Atenim his jam satisfecimus supra §. 17. & demonstravimus, quod propter collisionem aliarum legum naturalium strictum illud jus paulisper temperari, atque potestati Legislatoris humani, ut pro salute Republicæ determinet, quæ læsio injustum lucrum contineat, aliquid relinqui debeat. Dum vero circa id ipsum occupatus est, obligationem Juris Naturalis non tollit, sed tantummodo circumscribit, quod ipsi licere ex præmissis abunde constat.

#### §. XXV.

Hæc sunt Benevole Lector, quibus innititur opinio nostra de æquitate l. 2. C, de rescind. vendit. olim jam peculiari Dissertatione publi-

publico communicata. Hæc sunt, quæ ad illustranda & confirmanda argumenta inibi prolata, nimia tamen brevitate in chartam conjecta, nunc explanatoria sistere e re duximus. Hæc, inquam, sunt, quæ nos movent, ut adhuc defensionem pro æquitate istius legis suscipiamus. Nil aliud enim in condenda illa lege fecerunt Imperatores Diocletianus & Maximianus, quam quod jure facere poterant, scilicet præceptum Juris Naturalis de læsione emendanda circumscriberunt, & speciatim, quæ læsio attendenda sit, determinarunt. Id unicum legi notam iniquitatis conciliare videtur, quod punctum læsionis tam late extendatur, ut ultra dimidium justi pretii esse debeat. Ugeri enim hic potest, quod hoc ipso revera omnis obligatio ad lucrum injustum restituendum tollatur, cum vix casus contingat, ut ejusmodi læsio probetur, hac vero ratione læsus minimum per indirectum cogatur, ut damnum sentiat, lœdenti vero captatio injusti lucri permittatur. Et probe scimus, plerosque in eam incidere opinionem, Imperatores per ipsam hanc legem omnem litem de inæqualitate inter rem & pretium tollere voluisse. At hoc ultimum non curabimus, cum, quæ vera Legislatorum fuerit intentio, quidque eos, ut tam arctis limitibus jus agendi læsio alias competens includerent, moverit, nullibi signatum, id vero valde probabile sit, illam conjecturam ex præconcepta opinione quam THOMASIVS in *Dissertationis allegata capit. III. per totum suam fecit*, a nobis ideo in nostra *Dissert.* §. 17. sqq. sufficenter refutatus enatam esse, quod lex vel omni applicatione destitutur, vel rarissime læsio exinde succurri posit. De ipso dubio satis spetioso potius solliciti erimus, & hic veremur, ne id ipsum etiam objiciatur, eo in casu, si leges forte punctum læsionis ita constituant, ut dimidia tertia, quarta, octava pars pretii inæqualiter determinati tantum restituatur. Ponamus enim, his in casibus faciliorem esse probationem læsionis, id tamen insimul negari nequit, quod vel læsus sèpius in illa deficiat, vel illius

D

dif-

difficultas eum impedit, quo minus jus suum prosequatur, & sic eadem ratione, ac in casu, de quo queritur, per indirectum cogatur, ut damnum ferat. Exinde vero id appareat, admissa illa argumentandi ratione, legislatorem humanum, quocunque demum modo propositionem universalem de emendanda lassione determinet, & licet vel minimam circumventionem admittat, nunquam evitare posse iniquitatis notam, a qua tamen ea, quæ §. 17. & 29. præsupposuimus, illum plane liberant.

### §. XXVI.

Imo, si dicendum, quod res est, in objectione illa dux confunduntur propositiones valde diversæ, scilicet tollere Jus Naturæ & ad observantium ejus non cogere. Id, sicuti nihil aliud involvit, quam a Jure Naturali plane recedere, contrarii quid ab ipso disponere, obligationi internæ vim inferre, alicui jus concedere, ut legibus universaliter obligantibus contravenire possit. Verbo: hominis, qui jam naturaliter malus est, conscientiam quasi immunitam præstare, si malitiam leges cordi inscriptas vili habendo & contemnendo augeat; Ita per se patet, Legislatorem humanum nulla ratione potestatem legislatoriam eosque extendere posse, ut tale quid actu positivo admittat, nisi vel ipse summani iniquitatem committere, atque conscientiam suam onerare malit. E contrario tamen nil horum metuendum est, si ad observantium Juris Naturalis non cogit, cum ex supra dictis abunde constet, Principis potestatem hoc in casu tam arctis limitibus non esse circumscriptam. Illo ipso enim nil aliud efficitur, quam quod subditu ab externa obligandi vi immunes præstentur, ab aditu ad judicia & fora arceantur, strepitus ideo judiciales evitentur, & pro re nata salus & tranquillitas Reipublicæ illæsa maneat, quod sapienter fieret, nisi auxilium civile Princeps nonnunquam denegaret. Nil vero interest, utrum naturalis obligatio simpliciter omni auxilio destituatur, an ipsi robur tantum quoad certos effectus relinquatur.

Suffi-

Sufficit enim, quod obligatio interna in neutro casu tollatur, & quod subditus, qui legi naturali contravenit, in foro conscientiae immunis non praestetur. Quæ si ad legem nostram applicantur, dilucide apparebit, Legislatores eam condendo obligationem naturalem non sustulisse, nec, ut præceptum de non captando injusto lucro amplius non observetur, constituisse, sed id sibi tantum sumisse, quod externam illius præcepti vim ad eum solummodo causum restringerent, si lucrum excedat dimidium justi pretii. Manet enim sic nihilosecius obligatio in foro conscientiae ad damni dati reparationem vel compensationem, nec securus praestatur laedens ex eo solo, quod laeso ob minus damnum perpetuum actio denegetur.

### §. XXVII.

Usum distinctionis illius, quam præcedens paragraphus continebat, adhuc clarius evincit frequentia negotiorum, quæ ad præcepta naturaliter obligantia attemperanda quidem sunt, &, nisi hac ratione expediantur, conscientiam subditi onerant, neutiquam vero in foro Soli imputantur vel puniuntur. Plures sane possunt esse causæ, quæ Legislatorem humanum movent, ut, si vel maxime mala nonnulla exinde in civitatem redundant, nihilominus ea potius toleret, ne si obligationis naturalis vis legibus positivis strictim repetatur, vel approbetur, adhuc majori malo Respublica afficiatur. Quid, quæso, Juri Naturali convenientius, quam quod homo culturam cum animi, tum corporis sollicite suscipiat. Quid huic juri magis contrarium, quam destructio sui ipsius ipsi intentioni creatoris adversa! Experientia tamen docet, quam graviter hic mortales peccent, & facile crediderim, neminem fere eorum, si actiones suas ad amissum examinat, ab omni culpa immunem se prædicare posse. Principem hoc malum non fugit, sed tacet, obligationem naturalem non repetit, ad obseruantiam legis universalis non cogit. Nec tamen ideo iniquitatem admittit. Plura sunt,

D 2

quæ

quæ efficiunt, ut homo officii sui oblitus suam potius promoveat perniciem quam sanitatem corporis & puritatem animi, nempe, affectus, mala educatio, temperamentum, quæ omnia si emendare, destructionemque subditorum impedire vellet Legislator humanus, laborem sane ageret frustraneum, cum in ipsius viribus positum non sit, hominum malas mutare inclinationes. Imo, si contravenientes puniret, se ipsum subditis, & civitatem splendore suo privaret, cum non posset non fieri, quin summa mox ubivis locorum hac ratione existeret solitudo. Ipse Princeps rigore suo Reipublicæ damnum magis, quam utilitatem promoveret, nec notam iniquitatis, obligationem naturalem tam stricte repetendo, evitaret, a qua tamen tolerando mala, quæ emendari non poterant, se liberare potuisset.

### §. XXVIII.

Sed, ut proprius ad rem accedamus, id etiam notari meretur, Principem non licite solum ea tolerare atque subditorum conscientiis committere posse, quæ plane respnuunt emendationem, quæque non directo tendunt ad tertii laſionem, sed id ipsi etiam dandum esse, ut necessitate vel utilitate Reipublicæ ita ferente auxilium civile deneget in iis negotiis, ubi tertii jus concurrit. Licet enim hic ideo, quod Princeps actum quendam toleret, paulisper de jure suo, remittere debeat, non tamen justam nanciscitur conquerendi rationem, si Reipublicæ salus ipsius saluti, quam vel ipse suis commodis postponere debet, præferatur. Sic non peccat Legislator, qui e. g. ex pacto, cui non omnia solennia legibus positivis determinata insunt, actionem non concedit, qui filium familias non cogit, ut mutuum acceptum creditori restituat, & illi insuper exceptiones, quibus actio creditoris eliditur, concedit, qui facultatem domini de re sua libere disponendi certis limitibus includit, & sic porro. Quid itaque impedit, quo minus etiam ob quamvis laſionem ex inæqualitate pretii & rei oriundam, auxilium civile de-

neget,

neget, si appareat, magis conducere Reipublica, ut pactorum validitas, licet cum aliquali damno contrahentis conjuncta conservetur, quam subditis ansa suppeditetur, dominia rerum traditione antecedente rite acquisita indistincte in dubium vocandi. Nec putarem, Legislatorem, qui ejusmodi leges punctum aliquod determinantes condit, obligatum esse, ut causam, quæ talem dispositiōnem produxit, aperiat. Subdito enim sufficere debet, quod lex scripta sit. Et quemadmodum neque eum, neque Juris interpretē decet nimis curiosa investigatio, quæ nam sit vera ratio legis, hæc ipsa etiam, summa licet in ea perquirenda adhibeat adhibetur diligētia, nihilominus sapientissime vel plane ignota, vel pluribus dubiis obnoxia maneat; ita eo majori injuria Principem afficiunt ii, qui ex eo solo, quod ratio legis genuina lateat, legem ipsam iniquitatis arguunt. Et hæc eum in finem dicta sunt, ut præveniamus dubio, legi nostræ exinde moto, quod sufficiens ratio dari non possit, quare in omnibus illis lœsionibus auxilium civile denegetur, quæ non sunt ultra dimidium justi pretii. Eam enim, quæ ab oriunda litium multitudine solum desumitur, & ego cum TITIO cit. loc. insufficientem credo, cum vel difficultas probationis efficere possit, ut lœsus actionem omittat. Et licet vel probabiliter alia caufæ a favore commerciorum, vel utilitate, quæ ex pactorum validitate, & certitudine dominii per inanes aut admodum sumtuosas lites non turbanda proficiscitur, desumi posse, unam alteramve tamen in lege nostra subesse, apodictice asseri nequit. Sufficiat itaque ad elidendam iniquitatem legis, quod juxta præmissa indoles negotiorum humanorum restitucionem qualisque lœsionis non permittat, cum possibile vix sit, ut pretia rerum semper exacte & accurate determinentur, adeoque Princeps modum ac quantitatem lœsionis emendandæ determinare, intuitu ejus, quod lege non continetur, auxilium civile denegare possit,

D 3

nec

nec peccet, quod hac ratione conscientia subditorum aliquid committat.

### §. XXIX.

Id interim non negamus, in lege nostra non observatam esse æquitatem absolutam, sed solum hypotheticam, quæ opinio etiam placet BEYERO in *Jure German.* L. 3. cap. 1. pos. 27. Est vero æquitas absoluta, quando Legislator humanus in condendis legibus obligationem naturalem eatenus respicit, ut vel statim appareat, novi quicquam non subesse, sed obligationi internæ tantum superaddi externam. Hypotheticam e contrario æquitatem nominamus, quando Legislator humanus, iis in casibus, ubi necessitas obligationem naturalem in foro externo stricte observandi, Reipublicæ malum aliquod vel damnum minatur, ex causa honesta, & quæ Reipublicæ utilitatem majorem afferre videtur, illam obligationem ita circumscribit, ut nonnunquam auxilium denegetur, adeoque ex duobus malis minus eligit, idque tantisper pro bono habet, donec indoles & status Reipublicæ aliam decisionem admittit. Fundamentum hujus distinctionis ut amplius probemus, non est necesse, cum cuilibet ex antea dictis de natura utriusque æquitatis sufficienter constare possit. Quod vero attinet nostram legem, in ea non subesse æquitatem absolutam, vel exinde appareat, quod obligatio præcepti universalis de non captando lucro cum alteris damno conjuncto, non strictim repetatur, sed propter damnum, quod punctum non attingit, actio denegetur. Æquitatem vero hypotheticam in ea condenda fuisse observatam, id eo minus dubii habet, quo majori certitudine ex antea præmissis afferre possumus, tam grave damnum Reipublicæ non afferri, si contrahentes aliquale damnum ex inæquali determinatione pretii oriundum ferant, quam si vaga atque illimitata ipsis concedatur facultas, pacta impugnandi, & de dominiis rerum lites movendi. Et hæc æquitas hypothetica non nostræ solum legi præsidium præbet, sed tam late

se

se per Jurisprudentiam civilem diffundit, ut, nisi usum ei adscriberemus, nulla fere lex humana, quæ propositionem Juris Naturalis universalem, tempus, modum, numerum, quantitatem &c. determinando circumscrifbit, & sic nonnunquam auxilium civile denegat, notam iniquitatis evitare posset. Qui de veritate asserti adhuc dubitat, adeat quoſo WERLHOFFII cit. Dissertationem, & BEYERVM cit. loc. in leges exempli loco ibi propositas accuratius inquirat, quæ ea de re diximus in der Einleitung zum Sächſischen Rechte loc. *supra citat.* addat, præjudicium autoritatis pauplisper seponat. Sic enim deinde facili negotio judicium de æquitatis illius fundamento & usu ferre poterit.

## §. XXX.

Superatis nunc omnibus difficultatibus, & in nihilum redactis objectionibus, quæ remoram injicere poterant, ipsos Dissentientes aggredimur. Nostrum hic erit, ut demonstremus speciatim, ea, quæ ab adversariis pro æquitate cerebrina & iniquitate legis nostræ demonstranda proferuntur, tanti roboris non esse, ut theſin nostram haſtenus defensam suspectam reddant. Dabimus THOMASIO propter autoritatem primum locum. Hic, dum in *Dissertatione de æquitate cerebrina l. 2. C. de rescind. vendit.* id agit, ut æquitatem in lege nostra subesse probet, primo generatim in naturam illius inquirit, &, qua ratione a Legislatore humano committi possit, investigat. Omnia huc redeunt. Est ipſi æquitas cerebrina Cap. I. §. IV. quæ sub specie & larva æquitatis potius iniqutias aut injustitia est. Et cum vel ipſe Thomasius sine dubio sentiit, conceptum illum esse valde metaphysicum, mox §. V. subsequente speciem & larvam æquitatis sic explicat, quod sit erroneum judicium de vero bono & malo actionum humanarum. Debeat adhuc criterium per quod constabat, erroneum judicium admissum esse. Subjicitur id sequenti §. IX. nempe, quando per illud damnum magis assertur Reipublicæ, quam ejus utilitas promove-

movetur. Et hoc usque omnia optime cohærent, nec diffitemur, quod, hæc perlegendō, de justitia causæ nostræ fere dubitassemus, cūm ab initio statim prævidere poteramus, æquitatem legis controversialē plane corruere, si illustris Dissentiens grave illud damnum exinde in Rempublicam redundant evinceret. Sed mox animus iterum crescebat, postquam deprehendebamus, nihil ex præmissis ad legem illam fuisse applicatum, nec specialem demonstrationem additam, quod dānum ex denegata, ob quamvis lāsionem actio-ne oriundum superaret utilitatem ex admisso solum propter lāsionem ultra dimidium jure agendi. Rebus enim ita comparatis nemo nobis vitio vertet, si tamdiu negamus, ex præsuppositis illis ad legem nostram argumentari posse, quamdiu deficit sufficiens minoris propositionis probatio. Sane cum id ipsum ex effectu dijudicandum sit, atque ille in sensus incurrere debeat, e contrario vero hactenus exemplo quodam comprobari nequeat, legem illam conjurationibus, turbis, rebellionibus, bellis &c. occasio-nem dedisse, (id enim non sufficit, quod ille, cui actio ob lāsionem summa determinata minorem, denegata est, legi indignetur) nos equidem credimus, probationem illam dissentientes propter impossibilitatem ultro omissuros esse.

### §. XXXI.

Sic itaque THOMASIVS, posthabito illo argomento, quod primario tractandum erat, statim capite secundo citatæ Dissertationis, ex aliis rationibus priori tamen longe postponendis opiniōni sua fidem conciliare annititur, & a posteriori quidem exinde ad æquitatem cerebrinam legis argumentatur, quod 1) æquitas ipsa non sit perpetua, ab Imperatoribus subsequentibus iterum correcta, imo ab ipso Diocletiano in lege quadam posteriori mox emendata, eaque occasione Triboniani ingenio adscribit, quod punctum lāsionis tam late extensum in constitutionibus Diocletiani deprehendatur, de quo tamen ipsi Legislatores, condenda legem,

legem, ne quidem cogitassent. <sup>1)</sup> Huic rationi deinde 2) & eam addit, quod Juris interpretes in explicanda & applicanda lege minum in modum dissentiant, tandem 3) argumentum a priori ab eo desumit, quod pretia rebus non insint. Sed neutri tanta vis inest, ut exinde ad æquitatem cerebrinam concludi, nostraque opinio de vera legis æquitate convelli possit, ceu ex mox dicendis dilucidius apparebit.

### §. XXXII.

Quod primam attinet rationem, prius iterum præsupponendum est, Virum Illustrem per æquitatem cerebrinam intelligere eam, quæ mutationi non subest, quæ semper & ubique obtinet, & quæ legibus positivis, vel ex arbitrio Legislatoris humani circumsciri nequit, omnem vero reliquam æquitatem, quæ his requisitis munita non est, temporalem & cerebrinam vocat, iisque præstruetis nostræ quoque legis æquitatem ad posteriorem classem refert, cum neque ante Diocletianum, neque post eum obtinuerit, sed potius tam JCtis antiquis ignota, quam successoribus Diocletiani suspecta visa, eamque ob rationem iterum mutata fuerit. Atenim quemadmodum hæc præsupposita abunde docent, Virum Illustrem sibi non satis constare in definienda natura æquitatis cerebrinæ, cum per superius dicta necessario requisiverit, quod plus damni, quam utilitatis Reipublicæ afferat, nunc vero cerebrinitatem, ut ita loquar, adeo late extendat, ut omnem omnino opinionem de æquitate in Legislatoris humani cerebro natam, circa respectum ad commodum vel damnum exinde proveniens, sub se comprehendat; ita posterior significatus eo majori cura evitandus est, quo graviores producit errores. Eo enim admisso omnis Legislatoris humani cura eo tendens, ut propositiones Juris Naturæ universales ita ad statum Reipublicæ applicet, ne illa derimentum patiatur, inanis redditur, leges omnes, quæ modum, quantitatem, personam, tempus &c. &c. determinant, æquitate cerebrina labo-

E

rabunt.

rabunt. Subditis insimul occasio suppeditatur iis in casibus, ubi pro ratione circumstantiarum lex antiqua per novam tollitur, de durius & inclemensia Legislatoris, deque iniquitate novæ legis conquerendi, atque, ut paucis omnia complectar, nulla unquam erit Respublica, quæ non ideo apud cives pariter atque exteriores male audiet, quod servet leges iniquas. Non enim potest non fieri, quin Princeps quandoque obligationem ex lege præcipiente oriundam suspendat, jus ex lege permisiva competens amplius non concedat, ea, quæ hactenus licite suscepta sunt, plane damnent, id quod olim hoc vel illo modo necessario expediendum erat, nunc alia ratione peragendum velit &c. quæ mutationes, cum omnes non aliunde proveniant, quam quod Princeps credit, iisdem Reipublicæ melius consuli, omnes quoque iniquitatemi secum habebunt, necesse est, quod tamen indistincte asserere nemo forsitan audebit, nec jure id facere poterit. Deinde generalis ille conceptus æquitatis cerebrinæ sumimam inter hanc & æquitatem hypotheticam producit confusionem, cum exinde facilis negotio dici possit, omnem hypotheticam æquitatem esse simul cerebrinam, & iniquam, ideo, quia prior mutationi semper subest. Ne itaque incauti hic decipiantur, probe nosse oportet, æquitatem cerebrinam a se ipsa distinguendam esse, ita quidem, ut in sensu latiori, quem exhibit hic paragraphus, sumta comprehendat simul æquitatem hypotheticam, & sic certo respectu æqua & iniqua esse possit quatenus vero in sensu strictiori, ceu eum fistit §. 30. consideratur ab hypothetica in eo differt, quod illa quidem propter damnum, semper exinde in Rempublicam redundans, semper etiam iniquitatem complectatur, hæc autem non alia ratione iniqua dici possit, nisi ex effectu appareat, perniciem magis, quam commodium Reipublicæ per eam promoveri.

### §. XXXIII.

Deinde id etiam falso asseritur, Veteres JCTos illam æquitatem,

tem, quod præstet, a contrahentibus ferri aliquale damnum, quam ob quamlibet læsionem jus agendi concedere, ignorasse, & id potius cum successoribus Diocletiani egisse, ut nulla reperetur læsio involuntaria. Hanc enim esse opinionem Thomasi, alio loco diximus, nec alia intentione in *citata Dissertatione cap. 2. §. 29. lit. II.* non leges solum Pandectarum, sed & dicta Philosophorum atque Oratorum cumulat, ut demonstret, omnem omnino circumventionem, quæ citra dolum in contrahendo intervenit, esse licitam. Sed cave iterum, ne decipiaris. Id enim quidem concedimus, quod leges illæ antiquæ inter quas eminent *I. 16. §. 4. ff. de minorib.* & *I. 22. §. fin. I. 23. ff. Locat. cond.* admittant aliquam circumventionem, & rescissionem contractus ob quamlibet læsionem damnent, nec diffitemur, sermonem ibi esse de læsione involuntaria, cum circumventio dolosa aliis legibus satis reprobata sit, & aliis juris remedii impugnari possit, vid. *I. 35. §. fin. I. 43. §. fin. I. 57. §. 1.* & *2. ff. de contrabend. emt. I. 7. §. 3. ff. de dolo malo I. 13. §. 4. & 5. ff. de action. emt. vendit.* id tandem etiam damus, generatim leges illas esse conceptas, ut primo intuitu ex iis ad actionis denegationem, qualiscunque etiam læsio sit, argumentum fieri possit. Sed, si hic conferas *I. 38. ff. de contrab. emtion.* id etiam videbis, Romanos omnino desiderasse proportionem aliquam inter rem & pretium in contractibus permutatoriis. Nec citra notam injustitiæ omnem læsionem licitam declarare potuerunt, per ea, quæ diximus *§. 12. sqq.* adeoque necessario ita, ne obligationi naturali ex præcepto de non captando lucro cum alterius conjuncto oriundæ vis inferatur, interpretandæ, sunt, nec alias sensus ipsis affingen-  
dus erit, quam quod proportio illa cum aliqua latitudine accipi, hæc autem sic comparata esse debeat, ut omne jus agendi læso competens non tollat. Ideem judicium esto de constitutionibus Imperatorum, Constantini M. Gratiani, Valentiniani & Theodosii, supra jam *§. 18.* relatis. Licit enim punctum læsionis in lege

Diocletiani constitutum non repant, sed absque mentione quantitatis contractuum permutatoriorum rescissionem ob pretium vi- lius prohibeant, per dicta tamen omnem obligationem lassionem reparandi tollere non potuerunt, sed iterum ex præceptis Juris universaliter obligantis, limitandæ sunt. Imo non video, quid impedit, quo minus ex ipsa lege Diocletiani verba legum subsequentium generalia restringi possint, cum tritum, atque extra omnem dubitationis aleam positum sit, leges generales posteriores non tollere specialem priorem, nisi hujus expresse mentio facta sit, add. l. 3. C. de Legib.

#### §. XXXIV.

Dabimus etiam paulisper, JCtorum eam fuisse intentionem, ut nulla lassio involuntaria reparetur, id etiam egisse Imperatores nonnullos, ut decisionem eam per legem Diocletiani suspensam, iterum restituerent, quodque id ipsum non repugnante Jure Naturali factum sit, ideo tamen neque opiniones JCtorum, neque Constitutiones illæ posteriores se magis ab æquitate commendabunt, quam lex Diocletiani, huic etiam ex eo solo, quod punctum aliquod lassionis determinavit, iniquitas affingi non poterit. Primo enim vel exinde, quod doctrina illa de lassione emendanda tam variis obnoxia fuit mutationibus, de æquitate theses, quod præstet ob nullam omnino lassionem actionem concedere ex præsupposito Illustris Dissidentis merito dubitabis, eamque cerebrinam nominabis, cum non solum Justinianus legem Diocletiani iterum restituerit, & in Praxin deduxerit, sed Germanorum quoque Legislatores eam passim approbaverint. Deinde, si id concedis, JCtos & Diocletiani successores actionem propter lassionem licite, & citra notam iniquitatis plane denegare potuisse, & nobis vel invitus affensum præbebis in eo, quod Diocletianus non peccaverit, dum certam lassionis emendandæ quantitatatem definitivit. Quemadmodum enim illi decisione sua utebantur lege Naturali non præcipiente,

piente, ita hic legi sua quantitatem inferuit Jure Naturali non prohibente. In utroque itaque casu adhibita est æquitas hypothetica, uterque doctrinam de emendanda lœfione, vel non admittenda proportione status Reipublicæ legibus circumscribens fecit id, quod naturaliter facere poterat, nec nobis unquam persuadebis, decisiones JCtorum & constitutiones de lœfione viliori non corrigenda latas æquitate vera inniti, Diocletianam vero legem æquitatem cerebrinam sapere, nisi simul doceas, temporibus antiquioribus & novioribus Rempublicam Romanorum ideo, quod in decisionibus & constitutionibus illis generalioribus acqueverit, feliciorem fuisse, quam quidem fuit aratæ Diocletiani, intermedia hujusque mutationis causam fuisse, quod de novo quantitas lœfionis emendandæ determinata sit.

## §. XXXV.

Restat adhuc, ut dispiciamus, an Diocletianus ipse æquitatem cerebrinam legis nostræ senserit, eamque in lege posteriori emendaverit, Tribonianus vero uramque legem interpolaverit. Et hic quidem verum est, verba *l. 8. C. de rescind. vendit.* qua est Diocletiani, ita esse concepta, ut exinde colligi liceat, rescissionem contractus ob minus pretium acceptum non esse indulgandam. Sic enim habent: *Hoc solum, quod paulo minore pretio fundum venditum significas, ad rescindendam venditionem invalidum est.* Quod si videlicet contractus emtionis atque venditionis cogitasses substantiam, & quod emtor viliore comparandi, vendor cariore distractabendi votum gerentes ad hunc contractum accedant, vixque post multas contentiones venditore de eo, quod petierat, detrabente; emtore autem huic, quod obtulerat, addente, ad certum consentiant pretium, profecto perspiceres, neque bonum fidem, que emtionis atque venditionis fidem tuerit, pati, neque ullam rationem concedere negandi propter hoc consensu finitum contractum vel statim, vel post pretii quantitatis disceptationem. Ast, licet hæc legis verba sint

E 3

gene-

IVXXX.



generaliora, non tamen exinde statim concludere possumus, legem priorem secundam electo titulo Codicis inseram iniquam, & eam Legislatoris intentionem fuisse, ut per posteriorem legem priorem corrigeret. Non repetamus ea, quæ circa leges Imperatorum Constantini M. Gratiani &c. in §. 33. ejus rei gratia jam notavimus. Id tamen præterire non possumus, quod re accurate considerata una lex alteri non sit contraria, nec ulla hic reperiatur antinomia. Utraque sane in eo conspirat, quod contractus permutterius ob pretium vilius non sit rescindendus, & posterior solum, quæ in priori, nulla ratione addita, erant constituta, nunc rationibus adjectis ulterius confirmat, atque contra objectiones masculine defendit, utraque etiam declarat, quale pretium vilius nominandum sit, scilicet quod non est ultra dimidium proportionis inter rem & pretium observandæ. Et hæc ipsa declaratio utriusque uno eodemque modo addita omnem suspicionem, quod legi posteriori correctio insit, plane tollit. Nec causam videmus, quare istæ declarationes ingenio solius Triboniani adscribi debeant. Priorem enim legem hac ratione non interpolatam, sed totam Diocletiani esse, vel ipse Illustris Dissentiens invitus concedit, dum in eo est, ut demonstret, posteriorem esse correctoriam, ea intentione publicatam, ut apparet, quod prior lex sub & obreptitie impetrata sit, & propter inseratum læsionis punctum iniquitatem contineat. Quamvis si verum fateri velimus, nec sub & obreptio ex iis, quæ hujus rei causa in cit. *Dissert. cap. 2. §. 9.* adducuntur, satis probetur, cum omnia desumantur a possibilitate, quale tamen argumentum, quatenus ad ipsam existentiam concludit, nullibi admittitur. Quod deinde posteriorem legem attinet, huic iterum declaratio adjecta non est contraria, quia verba priora, quantumvis generalia sint, nil aliud tamen involvunt, quam quod læsio ex pretio justo minore redundans non sit attendenda posteriora vero nil præter declarationem continent, quale pretium sit justo minus.

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Paucis adhuc videamus an reliquis rationibus, quæ THOMASIVS pro demonstranda legis nostræ æquitate cerebrina profert, quicquam roboris insit. Altera ab eo desumitur, quod Doctores in explicanda & applicanda lege nostra mirifice dissentiant. Sed hanc iterum vel ideo admittere non possumus, quia leges & divinas & humanas sine ulla distinctione injustitiae & iniquitatis accusandi, latusimum aperit campum. Sane si legum justitia & injustitia æquitas vel iniquitas juxta opinionem Doctorum, eas vel calculo suo approbantium, vel de applicatione ad obvenientes casus invicem dissentientium, dimetienda esset, optimis etiam legibus sapisfime quæstio moveri posset, utrum ab æquitate se magis commendarent, an potius tanquam iniquæ rejici deberent, cum vel experientia doceat, nullam fere legem proponi posse, quæ non simul ab ipso momento publicationis a Doctoribus diversimode explicetur, cujusque applicatio dubia reddatur. Tritum est, & vulgare, quod nonnunquam absurdissimam legis per se satis justæ, vel æquaæ explicationem Juris interpretes defendant, ipsaque legis verba mirifice torqueant, ut se accommodent absurdæ opinioni. Quæ cum ita fint, per se quoque patet, ex assensu vel diffensu Doctorum ad iustitiam vel æquitatem legis cuiusdam argumentum fieri non posse. Postremo tandem loco pro stabilienda æquitate cerebrina legis nostra adhuc urgetur, quod pretia rebus non insint, sed ab arbitrio contrahentium dependant. Huic autem rationi jam supra §. 13. satisfecimus, adeoque non opus est, ut eam amplius curemus. Sit ita, quod quilibet naturaliter res suas pro lubitu æstimare, quodque ille, in quem nunc pretio interveniente transferendæ sunt, æstimationi iterum detrahere possit donec uterque contrahentium de pretio conveniat, haud tamen diffitendum est, quod nunquam verus consensus in idem placitum adsit, nisi ab initio statim utrique pacientium de qualitatibus & vitiis rei sufficienter constet. Id enim cer-

certissimum esse credo, quod alienans, si qualitates rei scivisset, rem quoque pluris aestimasset, altera vero pars si vitia rei ipsi innotuisserent, estimationi plus detraxisset. Quando itaque uterque in ignorantia constitutus est, & neque de qualitatibus neque de vitiis cogitavit, tunc sane dici nequit, quod de iis inter pacifcentes convenierit, adeoque consequens est, quod si postea appareant, aut de iis de novo contrahendum, pretioque vel addendum vel detrahendum sit, aut contractus prior propter deficientem consensum iterum rescindi debeat.

### §. XXXVII.

Remotis hactenus iis, quæ Thomasius contra æquitatem legis nostræ ex eo præsupposito monet, quod circumventio involuntaria læso jus ex illa lege agendi non tribuat, ordo nunc postulat, ut adhuc videamus, an ANONYMVS ille, cuius mentionem fecimus §. 7. evincat, in constitutione Diocletiani iniqutatem subesse. Et hic ad meliorem status controversiæ intelligentiam notari meretur, Anonymum quidem in eo cum Thomasio facere, quod legem prædicet iniquam; Quod vero rationem illius asserti attinet, totus ab illo recedit, dum §. 9. & 10. scripti sui nostra Dissertationi de æquitate l. 2. C. de rescind. vendit. oppositi omne præsidium opinionis suæ in eo quærit, quod Juri Naturali repugnet, conscientiæ ejus, qui circumveniendo alterum lædit, an damnum reparare velit, nec ne, committere, atque eum hac ratione ab obligatione naturali liberare, e contrario vero præceptis hisce universalibus: neminem læde, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias, eo magis conveniat, omnem omnino læsionem reparari, minimum propter modicam læsionem actionem concedi, cum eo ipso, quod contrahentibus circumventio usque ad dimidium justi pretii permittatur, fraudibus etiam via aperiatur, atque præcepto, ne quis cum alterius damno locupletior fiat, aut injustum lucrum capiat, vis fiat. Aten-

nina

nim quilibet hæc paulo accuratius perpetrans statim videt, multa hic præsupponi, quæ probatione indigent, plerasque propositiones esse vel falsas, vel non satis concludentes, idque ipsum vel ex antea dictis sufficenter jam constare debet. Demonstravimus enim Legislatorem humanum non obligari, ut expresse quicquam de emendanda læsione statuat, §. XXII. nec peccare, si conscientia civium ejus reparationem committat, ibid. & §. XXVI. sqq. Principem præcepta Juris Naturalis non repetendo cives ab obligatione non liberare, d. §. XXVI. actionem propter omnem læsionem in foro humano absolute non esse concedendam §. XVII. sq. legem nostram ideo, quod punctum læsionis semper & ubique observandum determinet, non esse iniquam §. XXV. & XXXIV. Principem propositionem Juris Naturalis circumscribendo, & obligationi naturali in nonnullis casibus auxilium civile denegando, ipsam obligationis naturalis vim non tollere §. XXVI. Quare non opus est, ut rationi illi principali, qua utitur Dissentiens, ulterius inhæreamus, nec ea nobis unquam persuadebit, ut thesin nostram de æquitate legis Diocletiani mutemus.

### §. XXXVIII.

Quemadmodum deinde & insuper §. III. supra docuimus, & vel ipse Dissentiens invitus dare debet, Juri Naturali non contrariari, quod in pretio conventionali latitudo admittatur, adeoque nec contrahentibus vitio verti possit, si erga se invicem paulisper dissimulent desiderium & cupiditatem rem comparandi vel dimittendi, se invicem hac ratione circa dolum circumveniant & circumscrivant, atque aliquale lucrum captent; e contrario vero non graviter solum peccetur contra regulas justitiæ, si circa contrahendum dolus & fraus adhibeatur (supra §. IV.) sed Jure etiam Civili data sint remedia impugnandi ejusmodi dolosas circumventiones; (supra §. XXXIII.) Ita etiam leges Diocletiani, quatenus de læsione non reparanda agunt, & circumventionem non damnant, in-

F

telli-

telligenda sunt de circumventione licita, quæ dolum non continet, idque ipsum innuant verba expressa *l. 8. C. de rescind. vendit.* quando ibi dicitur: *Si voluntate tua fundum tuum filius tuus venum dedit, dolus ex calliditate atque insidiis emtoris argui debet, vel metus mortis, vel cruciatus corporis detegi, ne rata habeatur venditio:* Quæ cum ita sint, id etiam consequens est, quod Dissentiens Diocletiano citra omne fundamentum imputet, eum per *l. 2. C. de rescind. vendit.* fraudibus viam aperire, atque decipientibus assistere, hac vero ratione legi ipsi injuria fiat, quod exinde iniqua vocetur. Et ridiculum sane est, quando Dissentiens, ut asserto majorem fidem conciliat, primo §. 10. scripti sui ab eo, quod Jus Romanum multis scateat ambiguitatibus, antinomiis & iniquitatibus, ad iniquitatem legis nostræ argumentatur, & deinde ulterius §. 11. ex religione Diocletiani Ethnica ejusque odio erga Christianos, nec non damnanda ambitione conjicit, in eo sedem omnium iniquitatum querendam esse, atque ideo legem nostram æquam prædicari non posse. Quam graviter enim hic impingat contra præcepta Logices, cuilibet statim constabit, qui ne ea quidem addidicit, modo alias sufficienti usu rationis prædictus est, & nobis ideo vitio verti non poterit, si ea silentio prætereamus, hoc solo addito, quod vel ipse Dissentiens sibi in asserenda iniquitate Diocletiani non satis constet, quando §. 11. adstruit, Imperatorem legis de qua controvertitur, duritiem agnovisse, eamque in lege posteriori corressisse, hanc vero legem aliasque huic similes constitutiones Imperatorias se maximopere ab æquitate commendare.

## §. XXXIX.

Instat equidem Dissentiens, & ex eo, quod actio tantum ob læsionem ultra dimidium concedatur, concludit, permittere sic Diocletianum læsiones alias non modicas sed enormes usque ad dimidium, eas pro æquis declarare, eoque ipso summam committere iniquitatem. Sed hic iterum fallitur, dum sibi persuadet, le-

gem

gem nostram continere permissionem, atque id, quod permittitur, cum eo, quod licet, quodque toleratur, confundit. Est enim permissione, quando cuidam actu positivo jus conceditur, ut aliquid scipere possit. Pro licitis vero habentur actus, qui lege tacente & plane nihil disponente peraguntur, & prouti necessitas vel utilitas civitatis exigit, tolerantur. In effectu etiam utrumque in eo differt, quod ille, qui actiones suas ad legem permittentem attemperat, iniquitatem vel iniuriam non admittat, a posteriori tamen non semper se liberat, qui id, quod licet, suscipit, cuiusque actio propterea, quod adeo grave damnum exinde non oriatur, vel quia emendari nequit, toleratur, sed id tantummodo consequitur, quod in foro externo impunitatem habeat. Ideo tamen, non omne, quod licet, honestati convenit, nec semper æquum aut justum est. Sic, licet pactum nudum Jure Romano non produceret obligationem civilem, eo tamen non stare honestati repugnabat, licet porro filius familias mutuum acceptum restituere non cogeretur, peccabat tamen, nisi restitutionem perageret. Hinc etiam factum, quod, si quid ex pacto nudo jam esset præstitum, si mutuum redditum, illud ipsum conditione indebiti non potuerit repeti. Minus adhuc dubii habebit assertum, si accuratius ponderantur, quæ jam §. XXVII. & XXVIII. præoccupavimus. Videbit itaque Dissentiens, quod, quamvis lex nostra toleret, læsum de minori læsione, quam quæ excedit dimidium justi pretii, agentem, exceptione repellendi, hoc ipso tamen neque lèdenti permittat, ut contrahendo sciens aliquem usque ad dimidium lèdere possit, nec recte exinde ad legis iniquitatem argumentum ducatur. Idque ipsum, læsionem ad dimidium pro æqua habitam non suisse, ulterius ex ipsa lege controversa probatur, dum scilicet existente læsione, atque causa ad judicium deducta lèdenti id non datur, ut lucrum usque ad dimidium justi pretii captare possit, sed pretio ab initio constituto pro re nata aliquid detrahatur vel addatur, ut justum fiat, id

F 2

est,

est, proportionem cum re habeat, nisi pacientes ipsum contrarium rescindi malint. Unde & id consequens est, Dissentientem §. 10. falso sibi persuadere, quod Praxis legi nostræ in eo contrarieatur, eamque tacite iniquam declareret, quando in judicando læsionem ad dimidium non admittit, sed rem in eum statum redigit, ut inæqualitas, de qua contrahentes conqueruntur, plane esset.

## §. XL.

